



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 56. Galliarum Rex contra Senatus sui sententiam his rationibus cedens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

## §. LVI.

*Galliarum Rex contra Senatus sui  
sententiam his rationibus  
cedens.*

Oratores plures adhuc alias proferebant rationes, quas omnes Rex avidissimis auribus excepit, probavitque, eas tamen illius consiliarii omnino rejecerunt; hos inter præcipui erant Cordæus Marecallus, & Archithalassus Gravilla, qui omnes ejusmodi consiliis vehementius adversabantur, exponentes, ob distantiam regnorum expeditionem summe difficilem esse, rem gerendam cum duobus Regibus prudentia, ac rerum bellicæ usu longe celeberrimis; horum quoque regna plurimum aucta, firmataque fuisse præcipuorum Optimatum obitu, per quorum ditiones hostibus unice aditus olim patuisset, nunc vero cum eorum bona regio ærario essent addicta, necnon isti Reges sat diuturni regiminis proventibus fruere, proin amplissimas possiderent opes, tamdiu longum etiam bellum eos sustinere, posse aiebant, donec interea Gallorum exercitus sumptibus, laboribusque penitus exhaustus esset. His addebant, incertam esse Ludovici fidem, utpote Principis inter mortales longe



Sæcul. XV. A C 1493. versutissimi, huncque, ut proprium Ne-  
 potem suum principatu deturbaret, om-  
 nia divina humanaque jura pessumdare,  
 ejusque perfidiam toti Italiæ satis com-  
 pertam esse, forte etiam Gallos, etsi pro-  
 spero Marte pugnarent, plus periculi in  
 Franciam redeundo, quam laboris in ex-  
 pugnando Neapolis regno subituros.  
 Horum rationibus Brissonnetus adeo de-  
 victus permansit, ut suam imprudentiam,  
 qua Regi consilii tam temere ac in-  
 consulte suscepti auctor extiterat, ipse  
 incusaret. Nihilominus Carolus præ ce-  
 terorum Ministrorum monitis potiora  
 habebat Versii Belloquadrensis Præfecti  
 consilia, hinc concepto expeditionis pro-  
 posito immotus adhæsit.

## §. LVII.

*Fœdus inter Galliarum Regem, &  
 Ludovicum Sfortiam.*

**H**aud parum Galliarum Regem in sua  
 sententia firmabat continua sollici-  
 tatio Principis Salernitani, Bernardini  
 de Bisfiniano, aliorumque Procerum Nea-  
 politanorum, qui Regno exules in Gal-  
 lias confugerant. Ergo foederis pacta  
 eriguntur, Carolo Rege inter præcipuos  
 articulos spondente, se nullatenus Me-  
 diolanensem Ducatum invasurum, sed i-  
 bidem Ludovico jus, auctoritatemque conser-